

Papeles

Manuscript

Biblioteca de Santa Cruz

Estanto.....

9

Tabla.....

Número.....

12472

10

6

12472

12.472

DISSERTATIO DE PRÆDICATIONE Evangelij in Hispania per S. Apostolum Iacobum Zebedæum.

A. D. I. D. F.

EIDEM S. APOSTOLO DIC.



GHALYBEM decoctum, & contentiosum diu funem deducimus. Gens nostra ea est persuasione firmata, ut credat, primam Evangelij lucem à Iacobo Zebedæo Apostolo accepisse. Turbavit avitam priscamque fidem primus Baronius tom. 9. Annalium Anno 816. num. 48.

& sequencibus: moxque persequitur adversos magni nominis viros, Comestabilem Castellæ Ioannem de Velasco, Ioannem Mariana, Gasparem Sancium, Societatis Iesu alumnos, doctrina, & eruditione inter paucos numerandos. Thomam Maluendam Dominicanum eis supparem, mittens aliorum scriptorum infini subsellij, numerosam turbam. Baronium subsequi Christianus Lupus, Natalis Alexander, Sebastianus Tilemon, Dupin, aliquotque alij minoris notæ Scriptores: equibus Lupo, & Natali erudico Libello reposuit Marquio Mondejarenfis. Verum cum exteris adhuc auribus male insonet persuasio nostra, compendio vsu, curæ nostræ erit probare: si pia, & prudenti polleant ad credendum fide, hanc insitam Hispanis sententiam, non procedere ex cæco patriæ amore, sed gravibus fulciri argumentis, quæ veram demonstrant.

I. est. Ex Matheo, Marco, & Luca constat: Christum Dominum postquam devicta morte, immortalis surrexit à tumulo, ante quam cælum conscenderet, præceptum dedisse Apostolis de prædicando Evangelio, non solum in Iudea, & Samaria, sed in omnibus gentibus, cum enim venisset, ut esset Lux mundi, mundum univèrsam debebat luce perfundere, & cum tempore prædicationis, Iudeæ, & Samariæ non transilierit terminos, equum erat, ut electis Apostolis, per eos gentes Evangelij lumine à tenebris eruerentur, & ab inveteratis liberarentur erroribus: *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Lucæ cap. 2. v. 32. Matheus enim sic scribit cap. 28. num. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Marcus sic cap. 16. num. 15. *Euntes in mundum univèrsam prædicare Evangelium omni creaturæ.* Lucas sic Act. Apost. Capite. 1. num. 8. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudea, & Samaria, usque ad ultimum terræ: unde præceptum datum omnibus Apostolis, proculdubio Iacobum Zebedæi comprehendit: quæ enim ratione asseri potest à præcepto exceptum? Proculdubio nulla: si enim adesset: & excipere posset; ne fuisset cum cæteris Apostolis demissus in carcerem: Act. cap. 5. nu. 48. ac nec cum cæteris fuisse cassum. num. 40. ac in persecutione Ecclesiæ facta*

2. 107
post necem Stephani, non mansisse Hierosolimis: aliaque plura, quæ nullus san-
ctæ mentis excipere pro Iacobo Zebedæo potest.

3 Firmato præcepto Apostolis dato, & in his Iacobo Zebedæo de prædi-
cando Evangelio in vniuerso mundo, auscultare lubet Marcum de executione.
Cap. 16. prædicto ait: *Ilī autem (nempe Apostoli) profecti prædica serunt ubi-
que, Domino cooperante, & Sermonem confirmante sequentibus signis.* Notare libet
vocem *profecti* idest: discedentes ab Hierosolimis, & Iudea, in orbis Provincias.
Vbi que idest, omnibus eius partibus: & cum de omnibus Apostolis loquatur
Marcus, Iacobum Zebedæi proculdubio complexus: fitque, vt etiam sit profe-
ctus prædicare Evangelium, sicuti cæteri Apostoli, & cum nullibi legatur præ-
dicasse, nisi in Hispania, fit, vt ad eam sit profectus prædicare.

4 Ex quibus formatur in eluctabilis syllogismus: Apostoli quibus à Christo
in iunctum est præceptum de prædicando Evangelio in orbis plagis, profecti sunt
in eas, illud prædicare: vt constat ex Marco: sed Iacobus Zebedæus fuit vnus ex
Apostolis, quibus in iunctum est præceptum de prædicando Evangelio in orbe:
ergo profectus est ad illud prædicandum. Consequentia tenet, maior, & minor
constant ex Evangelij: cum ergo fuerit profectus: prædicare; nullibique ad sit
memoria provinciarum, in qua prædicarit, nisi in Hispania, sequitur profectum & in
Hispania prædicasse.

5 Respondent. 1. Adversæ opinioni addicti. Christum solum indidisse Apo-
stolis præceptum prædicandi in gentibus Evangelium: post duodecim annos,
quibus ex Apollonij traditione, manere in Iudea præscriptum erat à Christo, vt
repulsò ab ea Evangelio, deduceretur ad gentes, iuxta illud Pauli, & Barnabæ
ad Iudeos Antiochenos. *Psidiæ Act. 17. Vobis primum oportebat loqui verbum
Dei: sed quoniam repulisti illud, ecce conuertimur ad gentes.* Cumque Iacobus Ze-
bedæus gladio ab Herode Agripa ènectus fuerit intra spatium duodecim horum
annorum, exequi præceptum Christi minime potuit, ac proinde verbis Marci
non est comprehensus.

6 Multis tamen diruitur hoc obstaculum. 1. Quia verba, quæ ex Claudio
Apollinari Episcopo Hierapolis in Phrigia (non Apollonij Senatoris Romani,
vt censuit Marquise Mondejarensis, nec ex Trafea Martire, vt lapsi alij) ex opere
contra Montanistas, cuius fragmenta conservavit Eusebius, lib. 5. Historiæ Ec-
clesiasticæ cap. 17. ad litteram expressa ab Henrico Vallesio, non efferunt: *Se
traditione accepisse: Seruatorem mandatum dedisse Apostolis, ne ad 12. annos Hiero-
solimis decederent; sed solum: tamquam ex veterum traditione: quibus non expressit
esse veterum traditionem; sed à se reputari, quasi talem; præcessit enim Clau-
dium Apolinarem in Cathedra Hierapolis, Papias, qui licet virtute polluerit,
Sanctis adnumeratus; sicuti Claudius Apolinaris, cuius memoria est apud Bol-
landos ad diem 7. Februarij; fuit minus cautus in cognoscendis veterum tradi-
tionibus, vti apparet ex Hieronymo in lib. de Scriptoribus, & ex Dupin in Bi-
bliotheca, ac ex hoc fonte forte hausit Claudius; de Papias autem videre licet Eu-
sebij iudicium.*

7 II. Quippe etsi assereret Claudius de 12. annis traditionem, manifesta
falsitatis evincunt, Acta Apostolorum & S. Romanæ Ecclesiæ traditio; nam
ante illos prædicatum est Evangelium Samaritanis per Philipum Diaconum,
Petrum, & Ioannem Apostolos, & fundata est Cathedra Romana à Petro, vnde
falsis eam accensit *Baronius* ipse anno 39. obstatque Petri prædicatio in Asia

Ponto Bithynia, &c. III. Quia si Marcus anno 3. Claudij Evangelium conscrip-
sit, vt docet Eusebius, pluresque alij: fortiori repellatur iure; cum referat Apo-
stolos profectos ad annuntiandum gentibus Evangelium, & vbique confirmasse
miraculis, vnde ante annum 12. prædicatum est gentibus. IV. Quia nil ponderis
habere potuit dicta traditio ab vnico adserta, & nullo alio suffulta: quippe ver-
ba: *Ne Hierosolimis discederent ad 12. annos.* Denotant Apostolos vrbis mani-
bus contineri, quod reapse falsissimum. Notantque Bollandiani ad diem 29.
Iunij de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo Comentario prævio §. 3. num. 20.
nihil hæc facienda, de 12. annis, sed potius tenendos duos, quos ille solus scripserit,
aut solum tres vt docet Ambrosius lib. 7. in Lucam. Possemus, & recurrere ad sen-
tentiam de morte Christi consulatu Geminorum; sed ad prædictam traditionem
eludendam satis.

8 Respondent alij II. præceptum datum à Servatore Apostolis de prædi-
cando Evangelio gentibus, datum solum, & exequendum opportuno tempore,
nempe, cum ostium foret ipsis refferatum, Magnorum autem Patrum consensione,
refferatum est, cum Petro præscriptum, ex celesti visione Cornelium Centurio-
nem baptismo tingere: hoc autem plerisque placet, decimo anno à Christi pas-
sione contigisse: cum iam obierat Iacobus, per indeque contineri non potuit ver-
bis Marci profecti prædicaverunt, &c.

9 Placet nobis (ne non necessarijs tempus teramus) Evangelij ostium refera-
tum, cum baptizatus est Cornelius; verum antea neci deditum Iacobum Zebedæum,
omnino demonstrabimus à veritate alienum. De mortis tempore variant senten-
tiæ; certum tamen circa Paschale festum occisum, ab Herode Agripæ Aristobuli filio, magni Herodis nepote; nam Herodes Tetrarcha Agripæ Patruus, so-
lum regnavit in Galilea, & non in Iudea, & à Caio exilio multatus Lugdunum
concessit, vt discimus ex Iosepho, & Historia Romana. Cum enim Agripa ad
Tyberium navigasset, male acceptus ab eo, quod propensior esset in Caium, in
carcerem missus est à Tiberio ipso, anno vulgaris æræ 36. quo obeunte Anno 37.
die 16. Martij, imperium capessente Caio Caligula, vinculis soluit, & regnum
iterum donavit. Anno 38. Iudeam adnavigavit, & ab Alexandrinis irrisione ex-
ceptus, vt narrat Philo: Anno 40. redijt ad Caium, qui donavit Tetrarchiam re-
legati patruui, anno 41. occiso Caio Caligula 24. Ianuarij, & conclamato à mili-
tibus Imperatore Claudio Drusso, propter navatam strenue in hoc operam,
confirmatus in Regno, dataque illi Iudea Samaria, & Abilina provincia; co-
mendatum Præsidibus provinciarum, misit in regnum, vsusque celeritate, Hye-
rosolimam pervenit, quo anno Iudeorum Pascha incidit Aprili: vnde à concla-
matione Claudij ad Pascha solum interjecti duo menses, & dimidium mensis:
quod tempus, si iustis coniecturis dandus locus, non erat sufficiens ad expedienda
negotia Romæ, nec comodum navigationi; quapropter firma suasionem tenemur
Agripam post Pascha Hierosolimam devenisse, ac eo anno Iacobum non occisum
Annus 42. aut 43. consignandus præcisse morti Iacobi: nam 43. obiit ab
Angelo percussus Agripa vt constat ex Apostolicis Actibus, & Iosepho: nam dam-
nare non poterat Iacobum ad mortem, nisi postquam effectus est Rex Iudeæ. His
firmatur iam communis opinio de nece Iacobi, anno 42. æræ vulgaris & con-
stat ex sequenti Chronologia Agripæ, eruditjs pervia ex Iosepho, & Historia
Romana. Anno 36. mititur in carcerem à Tiberio. 37. Solvitur à Caio, &
donatur regno. 38. Iudeam adnavigat, sed non Rex Iudeæ, & Hierosolimæ.

39. Accusat per literas Herodem Antipam. 40. Redijt ad Caicum. 41. A Claudio donatus Iudea. 42. Iacobus occiditur. 43. Obijt Agripa.

10 De Baptizato Cornelio annus, non minori subiacet controversia: qui ut verisimilius appareat, notandum, Chronologiam Actuum Apostolorum ad caput. 13. à Luca subterminis formalibus non adleri, & Hysterlogijs aliquando scate- re, ut videre licet, ex cap. 11. num. 19. illis verbis: *Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta est sub Stephano, perambulaverunt usque Phoeniciam & Cyprum, & Antochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis, &c.* Quæ coniungenda cum verbis cap. 8. num. 4. & illa verba de Paulo cum ex Damasco contendit Ierusalem, post tres annos à conversione cap. 9. n. 28. *Et erat cum illis intrans, & exiens in Ierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Grecis.* Quæ ante narratam Historiam Centurionis præmittit Lucas, clare edocent loquutum Paulum Gentibus Evangelij ostio referato: nam contraria de causa dispersi sub Stephani morte, non annuntiarunt Evangelium nisi solis Iudæis: ex quo fit clarissime anno 38. iam visione Petri, & Baptismo Centurionis, referatum gentibus Evangelium, ut constabit ex Chronotaxi sequenti.

11 Anno vulgaris, æræ 35. post necem Stephani conversus Paulus, anni primis mensibus secessit in Arabiam, & post Damascum redijt, ubi à conversione triennio commoratus. *Ad Galatas* cap. 1. 46. Paulus commoratur Damasci. 47. Commoratur Damasci. 38. Paulum Iudæi interficere tentant, sollicitant Aretam Arabum Regem: ne fugiat, iubet custodiri urbem præfecto militum; dimititur in porta per murum, adiit Ierusalem videre Petrum, apud quem manet diebus quindecim; nullum Apostolorum vidit, nisi Petrum & Iacobum fratrem Domini, loquitur gentibus; cupiunt iterum Iudæi interficere, missus est Tarsum: *Ad Galatas* eodem loco. Ergo iam gentibus erat referatum ostium Evangelij.

12 Præterea iam eò anno non erant Hierosolimis ceteri Apostoli, cum neminem viderit, nec in transitu à Damasco in Ierusalem, nec in Ierusalem in Tarsum: nam eius scopus fuit prædicta epist. demonstrare Galatis, se non ab Apostolis, quos videre non licuit, vlllo modo accepisse Evangelium; sed solum per revelationem Iesu Christi: vnde constat Historiam de Cornelio Centurione per hystorlogiam concrisptam à Luca, & ante annum 38. accidisse: iure ergo merito *Tilimon* nota 26. in memorias D. Petri, & Nota 2 in Mathæum nihil obesse docet, quim reponatur ad annum 35. Cornelij Baptismus, multoque minus ut reponatur, 36. aut 37. quapropter *Chronicon Alex.* illum consignat anno secundo post Domini Ascensionem: ceterum cum nullum extet monumentum, quo evidenter demonstraretur prædicti baptismi annus, si coniecturis locus, putamus reponendum anno 35. finiente, aut anno 36. incipiente: quia Ecclesia per Iudeam Galileam, & Samaritaniam habebat pacem (ex cap. 9. Act. 31. prohibente Tiberio persecutionem Christianorum: ut tradunt ex Eusebio patres: cuius pacis occasione Apostoli symbolum composuere, ac dispersi sunt in orbis plagas ad prædicandum gentibus Evangelium: sitque demum, ut à verbis: *Profecti prædicaverunt, &c.* nulla ratione possit excludi Iacobus Zebedæus: sicut eius frater Ioannes propter curam commendatam à Christo suæ Sanctissimæ Matris: & Iacobum Alphæum propter commendatam à Christo Ecclesiam Hierosolimitanam, quæ erat prima: ut consent aliqui; vnde fas non est Authoribus contrarijs pro lubito excipere Iacobum Zebedæum à propositione indefinita: *Illi autem profecti*

5
prædicaverunt, &c. cum ei ad eius mortem superierit tempus ad annuntiandum
in nostra Hispania Evangelium.

13 II. Argumentum potissimum est traditio Ecclesiæ Hispaniæ. Certum est
enim Ecclesiam Hispaniæ à 1. sæculo Christiano ordinem quemdam habuisse in
celebrandis Officijs Sacrificij, & Præcum, qui perduravit ad IV. Concil. Tole-
tanum celebratum anno 633. quod num. 2. sic effatur: *Vnus igitur orandi
atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conservetur. Unus modus
in Missarum solemnij, &c.* Vbi notandum verbum illud: *Conservetur.* Quod de-
notat antea fuisse in vtu. Officium hoc ritu diversum est ab Officio Romanor
secundum quod celebrata sunt officia in vniversa Hispania, vsque ad tempora
Alfonsi VI. Legionis Regis, & Sancij I. Regis Aragoniæ: ac etiam nunc conser-
yatur in Ecclesia Tolerana, Salmantina, & Cordubensi: quod nemo nisi im-
prudens negare potest: certumque in prædictis officijs adhibitos Hymnos, &
orationes in festis Sanctorum, quibus eorum gesta commendabantur memoriæ fi-
delium: Ast in Officio S. Iacobi Zebedæi in Hymno dicitur prædicasse in His-
pania his verbis.

Magni deinde Filij Tonitruj

Adepti fulgent præce matris inclite,

Regens Ioannes dextera solus Asiam,

Et læva positus frater Hispaniam.

14 Et in Responsorio: *Adest nobis valde letabunda dies præcellentissimi Iaco-
obi Apostoli, per cuius saluberrimam prædicationem totius plebis Hispaniæ suam. cœpit
cognoscere redemptorem.* Hæc non aliunde quam ex continuata traditione: qua prop-
ter necesse est eam nobis suffragari, eamque vt talem deprædicant præpter alios,
duo magni nominis Scriptorum: Stapleton, & Cornelius à Lapide.

15 Traditionem negavit Card. Baronius, & cum S. Pius V. recognito Bre-
biario Romano ad servisset, sublata est admittente Baronio à Clemente VIII. per-
fensit Hispaniarum Ecclesia iniuriam, Philipus III. Catholicus Rex reclama-
vit; lis acta Romæ de reponenda, & post gravissimas contestationes, maturo
iudicio excusata, restituta est ab Urbano VIII. pro Vrbe, & Orbe de sent. Patrum, qui
contestationi iudices fuere: quid opus vltra? Secularia iudicia Supremi Tribu-
nalis sententia adserta, temerare non licet, & Ecclesiastica Supremi Capituli post
excussam causam maturo iudicio, temerare licebit? abibit id longe ab his, qui no-
runt, quantum hæc sint curæ S.R. Ecclesiæ: *Prætereæ.* Si contemnere licet, hac in
re traditionem Ecclesiarum Hispaniæ, plurimorum Sanctorum Martyrum Hispa-
niæ trium priorum sæculorum despiciere licebit: nam eorum alia nõ suppetit me-
moria, quam quæ conservata est in Officijs Ecclesiasticis Hispaniarum Ecclesiæ,
continua traditione: ex qua innexa est Martyrologio Romano: Si ergo Ecclesia-
rum nostrarum in his traditio non nutat, cur vt nutans repellenda est in prædi-
catione S. Iacobi Zebedæi?

16 Vtterius aut prædictus Hymnus, ac responsum edita sunt ab Isidoro
Hispalensi, aut ante ipsum: si edita ab Isidoro, iam Isidorus erit adsertor prædica-
tionis S. Iacobi in Hispania; erantque illi suffragio doctissimi. Episcopi, qui sin-
chroni Isidoro fuere: nam si rem nõ contestatam Isidorus produceret,
minime permitterent, reponi publico Ecclesiæ officio: si autem ante Isidorum
edita; vicinus causa: nam hæc non aliunde quam ex traditione. Dicere autem
post irruptionem Sarracenorum edita, est omnino voluntarium, dejectæque mem-
16: *Traditio est nihil amplius queras.* Ex

17 Ex quo corruit solutio *Nadalis* Officium namque Gothicum non est probatum ab Ecclesia, quasi regula infalibilis, sicuti libri sacri; atamen aprobatum est ab Ecclesia; ut non discordans à recto tramite fidei, & morum. Anno etenim 918. à Ioanne X. missus est Legatus Card. Ianelus, ut recognosceret, quod & fecit, detulitque Romam, ubi Concilio acto, probatum, est ut scribit *Baronius* eo anno, quem sequuti *Spondanus* & *Hilduinus*, additione ad Claconum. Postea anno 1059. in Concilio Muntvano probatum est ab Alexandro II. vnde non vtimur, tamquam testimonio Canonico; sed solum tamquam testimonio fidedignissimo viris cordatis, in materia historica.

18 Traditioni suffragantur gravissima testimonia PP. Hieronymus cap. 34. *Isaïe* v. 12. de Apostolis loquens ait: *Spiritus illius congregavit eos, deditque eis sortes, autque divisit, ut alius ad Indos, alius ad Hispaniam, alius ad Illiricum, alius ad Græciam pergeret, & unusquisque in Evangelij atque doctrinæ provinciam requiesceret; si ergo diversus, qui ad Illiricum, & qui ad Hispaniam; iudicio Hieronymi, cum nemini possit Apostolorum consignari sorte Hispania, nisi Iacobo Zebedæo, sit ipsi consignatam: ac proinde à Iesse: Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Ambros. *Vlterius*, nam eodem Comentario *Isaïe* cap. 42. v. 10. ait *Apostolos videns Iesus in litore iuxta mare Gen. zareth, reficientes retia sua, vocavit, & misit in magnam mare: ut de piscatoribus piscum faceret hominum piscatores, qui de Hierusalem usque ad Illiricum, & Hispanias Evangelium prædicarent:* Apostoli autem qui reficientes retia vocati sunt à Christo ex Marco cap. 1. v. 19. novimus fuisse Zebedæi filios: necesse est ergo aliquem eorum in Hispaniam Evangelium invexisse, & cum id de Ioanne non potuerit Hieronymus asserere, restat ut de eius fratre Iacobo asseruerit.

19 *Isidorus* lib. de *Ortu, & Obitu P.P.* clarissime id docet cap. 73. his verbis: *Iacobus filius Zebedæi Frater Ioannis; quartus in ordine, duodecimus in sortibus, que sunt in dispersione gentium, atque Hispanie, & Occidentalium locorum gentibus Evangelium prædicavit:* Ad hoc testimonium *Baronius*, *Natalis*, *Dupin*, *Tilimon*, & alij, nihil habuere reponendum, nisi ab iudicandum *Isidoro*, cum plura contineat tanto Authore indigna, ac præsertim eadem clausula addat: *Epistolam Canonicam Iacobi nomine, scriptam à Iacobo Zebedæo, contra communem Patrum, & Ecclesiæ consensum.* Ast hoc miserabile effugium facile præcluditur: ac primo illa verba scripsit: aiena manu irrepsit in textum *Isidori*, uti observaverunt *Ioannes Baptista Perez*, *Ioannes Grial*, & *Fontidonius*, collatis octo vetustissimis exemplaribus, & conitat ex ipso *Isidoro*, qui in Prohemio ad libros veteris, & novi testamenti disserere asserit: *Iacobus frater Domini scripsit unam Epistolam, ad edificationem Ecclesiæ pertinentem:* Iacobus autem frater Domini non est Zebedæus, sed *Alfeus*.

20 Secundo: quia prædictum librum apertissime adserunt *Isidoro*. *S. Braulio* Cæsaraugitanus Episcopus in prænotatione ad eius opera. *S. Ildefonsus* in *Viris illustribus*, *Sigebertus*, & alij: cum igitur *Braulius* synchronus, & *Ildefonsus* eius sæculi scriptor, testes sint omni exceptione maiores, qua ratione ab iudicari liber iste ab *Isidoro* potest? Adsertos authoribus libros à Hieronymo, *Gennadio*, & alijs temerare non licet: adsertos à *Possidio* *B. Augustino*, nemini refragari licet, & adsertum *Isidoro* à *Viris sanctitate, & doctrina conspicuis*, respuere pro libito licet? Apparet ex hoc quantum valeat etiam in *viris cordatis, & eruditis* labor erga res nostras. Nec obest; quod in hoc libro

reperiantur plura, à quibus discordent Docti: nam ea ratione facile possemus plurimis authoribus ad certos libros negare: quippe in eis plurimi inveniuntur navi, qui doctis displicent. Quid ergo hac ratione dijudicabimus de operibus Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, & aliorum, ut optime nuper adverteit M. Michael Lequien Ord. Prædicatorum tom. 1. Præfatione ad Damasceni opera num. 13. Considerandum etiam est sæculum, quo Isidorus scripsit, septimo nempe, ac in Hispania longe dista ab Oriente, ex quo rari libri in eam advehebantur, unde non mirum quod accuratam notitiam non habuerit plurimum rerum.

21. S. Julianus Toletanus Comentario in Nahum, quod primum ex Bibliotheca Babarica Canisus edidit, post a Fevardentius, Margarinus de la Vigne in Bibliotheca Patrum, ac tandem Anissoniani tom. XII. pag. 643. En verba: *Uli ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per universum mundum detulerunt. Petrus enim Romæ, Andreas Achaïam, Ioannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, Iacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Mathæus Æthiopiã, Iudas Thadæus eum revulit Mesopotamiam, Iacobus Althei eum revulit Hierosolimam.* Respondent adversarij opus esse suppositicium: At quæto: quæ ratione probant? Quia ex unico Codice deductum; pessimè quidem: liber de mortibus Persecutorum à Ballucio publicatum sub nomine Lactantij ex unico codice, alio authori restitutum à Nourry, nemo inficiatur, & hoc opus negatur Juliano: quid quæto discriminis est inter Bibliothecas Gallicas ac Germanicas: quid inter Canisium, & Ballucium: hoc ergo modo quælibet paradoxa sustinere quis potest.

22. Beda in Collectaneis, qui sic ait. *Apostoli Christi, prædicatores Christi, & Doctores gentium, certis locis in mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaïam, Iacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Ioannes Asiam, Mathæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Mathias Iudæam, Iacobus frater Domini Hierosolimam.* Natalis responder spurium opus: Contra autem ita nam eam recenset Discipulus Bedæ in Epistola, quam dignam censuit Annalibus inferere Baronius tom. 9. anno 731. num. 20. qui sic ait: *Et in libris Isidori exceptiones quasdam, quæ extant in editione Basileæ anni 1563. tom. 3. Ad stipulati Sixtus Senensis, & præcipue Pitseus de rebus Anglicis tom. 1. pag. 135. notans idem opus collatis diversis codicibus, vario notari Epigraphe: nempe: Excerptiones Collectaneæ, Flores, Quæstiones ex Patribus.*

23. S. Beatus Præbyter Libaniensis in expositione Apocalypsis, &c. lib. 2. sic ait: *Hi duodecim sunt Christi Discipuli, Prædicatores fidei, & Doctores gentium, qui dum omnes unum sint, singuli autem eorum ad prædicandum in mundo, sortes proprias acceperunt; Petrus Roma, Andreas Achaïa, Thomas India, Iacobus Hispania, Ioannes Asia, Mathæus Macedonia, Philippus Gallias, Bartholomæus Licaonia, Simon Zelotes Ægyptum, Iacobus frater Domini Hierusalem, Paula autem cum ceteris Apostolis nulla fors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magister, & Prædicator eligitur.* Opus hoc manuscriptum extat in Bibliotheca Regia, & in fine dicitur: *Facundum excripisse Æra 1085. Anno Christi. 1047. extat in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, in Bibliotheca Collegij S. Ambrosij Societatis Iesu Vallis-Oleti, pluribus quæ alijs, de quo, & consuli poterit Alcazar in præfatione Comentarj in Apocalypsim, & Nicolaus Antonius in Bibliotheca*

veteri Hispaniæ sæculo 8. Censuere aliqui hoc opus esse Apringij Episcopi Patensis, qui floruit sæculo 6. de quo Isidorus in lib. de Viris illustribus; magno tamen errore: nam Apringij Commentarium, licet truncatum, & hiatus plenum, habemus nos exscriptum ex antiquo codice Barcinonensi, quod Deo favente, & fortuna donante, publicæ luci dabimus cum notis, est que longe diversum à Commentario S. Beati. Cæterum animadvertere libet, qualiter inter se consonent S. Iulianus Toletanus, S. Beda, & S. Beatus in designandis provincijs, quibus Apostoli prædicarunt. Silentio mitimus testimonia Hypóliti Portuenfis, Anastasij Sinaitæ, Dextri, Maximi, & aliorum, quæ à plerisque proceduntur, non ignorantes quam iure merito exceptiones patiantur, progressum facientes ad exolvendas adversas objectiones.

24 Obijciunt I. Apostolus Paulus prædicavit Evangelium in Hispania, ut docent Patres, Athanasiasus, Cyrillus Hierosolimitanus, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronimus, Gregorius Magnus, ex quibus communiter scriptores: ergo S. Iacobus in Hispania non prædicavit. Probatur consequentia: quia Paulus prædicavit, ubi Christus non erat prædicatus, ut ipse docet ad Romanos, cap. 15. versu 20. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum edificarem, &c.* Ergo si Paulus prædicavit in Hispania Evangelium, non erat prædicatum in illa à Iacobo Zebedæo.

25 Pessimum argumentum ex instantia: Paulus prædicavit Romæ: ergo ibi non prædicavit Petrus. quippè ipse asserit prædicasse Evangelium, ubi non erat prædicatum. Nil in hoc argumento uti nequit cum prædicationem Pauli in Hispania neget. Respondetur ergo II. Paulum solum dixisse, se solum prædicasse, ubi Christus non erat prædicatus, quando epistolam scribebat: scripta est autem Chorointho anno 57. aut. 58. ut communis fert authorum sententia. *Du-pin* in prologomenis Bibliorum lib. 2. disertatione præliminari cap. 2. §. 8. fol. mihi 48. *Tilimon* tom. 1. in Paulo. art. 33. fol. 264. ex quo non sequitur: quod postea non prædicaverit, ubi iam erat prædicatum Christi nomen; ac proinde ab eo tempore prædicasse in Hispania, esto Evangelium fuisset prædicatum à Iacobo, sicuti prædicavit Romæ, ubi prædicaverat Petrus.

26 Obijciunt II. ex Epistola Innocentij I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, qui ipsum consuluit de modo celebrandi divina officia, & ritu peragendorum Sacramentorum, cui respondet Papa per hæc verba: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à Beatis Apostolis tradita integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consuetudinibus haberetur: & paulo post: Quis enim nesciat, vel non advertat id quod à Principe Apostolorum. Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditum ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat &c. Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesiam, nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus aut eius Successores ordinarunt Sacerdotes. Aut legant: si in his provincijs alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse: Quod si non legunt: quia nunquam inveniunt: oportet eos sequi hoc quod Ecclesia Romana custodit.*

27 Ex dictis verbis arguunt sic: Si Iacobus prædicasset in Hispania, instituisset in ea Ecclesias: sed non instituit, nec fundavit Ecclesias in ea nisi Petrus aut ab eo missi, ut docet Innocentius: ergo S. Iacobus non prædicavit in Hispania. Ulterius sic: Innocentius docet: Usque tunc non legi, nec inveniri docuisse

Evangeliū in his provincijs alium Apostolum præter Petrum : ergo in Hispania nullatenus docuit Evangelium S. Iacobus Zebedæus.

28 Pro solutione huius obiectionis, qua primum vsus est *Baronius*, & post eum cæteri, notandum: Decentium solum consuluisse Innocentium de modo, & ritu celebrandi divina officia, & Sacramenta, atque Innocentium respondisse: deberi celebrari ritu, quo celebrat Ecclesia Romana iuxta formam à Petro traditam: rationemque redit duplicem: prima, quia in dictis provincijs nullus nisi Petrus, & eius successores constituere Sacerdotes: secunda, quia non invenitur, nec legitur, quod alius Apostolorum in his provincijs docuerit Evangelium. Norunt Theologi, quod in epistolis, & rescriptis Summorum Pontificum diversum esse, id quod decernunt, ac rationem qua decernunt: quandoque notare rationem, & fundamentum, & si statutum consistat: vulgaria sunt exempla: qua propter, & si decretum Innocentij, iure venerari debeat de ritu Romanæ Ecclesiæ observando in celebrandis Divinis Mysterijs; eius assertio, quod non legatur in occidenti alium Apostolorum docuisse Evangelium præter Petrum, tanti ponderis non est, ut corruat nostra sententia traditione suffulta. Hoc enim argumento elevatur fides *Baronij* de Barnaba Apostolo Ecclesiæ Mediolanensis auctore: quippe nullus Apostolorum legitur prædicasse: quidquid ergo respondisset argumento impetitus *Baronius*, subsidio nobis esset ad solutionem.

29 Ulterius deficit argumentum: quia aliud est prædicare Evangelium, & aliud Ecclesias fundare: dispersi sub persecutione Stephani, Evangelium annuntiarunt Iudæis, sed nullas fundavere Ecclesias Act. cap. 8. n. 4. *Igitur qui dispersi erant, pertransibant Evangelizantes Regnum Dei.* Cap. 9. Paulus prædicavit Damasco, & non fundavit Ecclesiam Damasci, & cap. 11. vers. 19. *Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano perambulaverunt usque ad Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.* Hi tamen Ecclesias non fundarunt. Consistere enim potest prædicatio, quin fundentur Ecclesiæ: quippe Ecclesia nihil aliud est, quam Christianus populus sub regimine Episcopi, & Pastoris, ut docuit Cyprianus, contingereque potest, & defacto contingit pluries, in vrbe aliqua plures esse Christianos, & Ecclesiam proprie talem fundatam non esse: quippe non est ibi Pastor seu Episcopus destinatus, ut eorum curam, & regimen agat. Sic accidit in Hispania: prædicavit Iacobus, sed cum puaci Christo dedissent nomen, quia avitæ Religionis tenaces, & constantes in tenendis maiorum moribus, Ecclesias non fundavit, nec Episcopos consecravit; cumque cursum Apostolatus consumasset in Iudæa; postea Apostolus Petrus missis Episcopis Evangelium per eos iterum disseminavit, & Ecclesias constituit, quare hæc nullatenus obstant prædicationi S. Iacobi Zebedæi in nostra Hispania: nec fini Epistolæ Innocentij.

30 Ad II. respondetur, quod Pontifex, solum provocat ut legatur: an alius Apostolorum præter Petrum in his provincijs docuerit Evangelium, & innuit id in libris non legi: Atamen vel Pontifex cum ait: non legi alium Apostolorum præter Petrum docuisse in provincijs occidentis: loquitur de libro Canonico; vel univèrsim asfirmat; nullo libro id legi: si Primum; fatemur non legi in libro Canonico Iacobum prædicasse in Hispania, sicuti nec legitur in libro Canonico Apostolum Petrum prædicasse Romæ; hoc tamen non obstante propter traditionem negari nequit prædicatio Petri in Romana Vrbe; simili ergo modo, esto non legatur in libro Canonico prædicatio S. Iacobi Maioris in Hispania, nihil id præiudicat veritati suffultæ constanti traditione. Si autem Pontifex, univèrsim loquatur, hoc est: nullo li-

bro legi: alium Apostolum à Petro in occidenti prædicasse Evangelium: difficile id sustinebitur: nam vt observat *Dupin* in Bibliotheca, præfata epist. data fuit anno 416. & Hieronimus 408. absolverat Commentaria in Isaiam, nec pigebit observationes huius auctoris ad hæc consulere; temeritas enim esset, nec par erat S. Pontificis prudentiæ asserere: se omnes percurrisse libros Ecelesiasticos, qui plurimi erant in varijs orbis provincijs; licet persecutorum rabie perierint maiori ex parte; qua propter ianiori, & veriori sensu venit S. Pontifex explicandus, nullatenus nobis contrario.

31 Cum ergo S. Innocentius asserit: *Aut legant, si in his provincijs alius Apostolorum aut legitur docuisse.* Loquitur iuxta subjectam materiam, de qua edisserit: nempe, de ritu, & ordine celebrandi divina officia, & in hoc sensu adfirmat, non legi alium Apostolorum præpter Petrum docuisse ordinem celebrandi in provincijs occidentis; quod quidem verissimum putamus; ast hoc non est negare, alium præpter Petrum docuisse in eis Evangelium Christi, vt cuilibet mediocriter erudito constabit: quippe hæc diversa sunt, & vno negato non negatur aliud, vnde stante assertionem Sancti Innocentij, non turbatur veritas nostræ traditionis: nec opus nobis est recurrere ad solutionem, qua Nadalis vitur, vt se expediat ab obiectione sibi facta ab auctoritate S. Gelasij Papæ asserentis Apostolum Paulum minime Hispania prædicasse.

32 Obijciunt III. ex verbis Beati Gregorij VII. ad Alphonsum, & Sanctium Hispaniæ Reges lib. 1. Regesti epist. 64. suadere intendentis reges præfatos, vt abiecto ritu Hispanico, Gotico seu Muzarabi, officia divina ordine Romano celebrarentur, sic enim ait: *Cum B. Apostolus Paulus Hispaniam se voluisse adire significet, ac postea septem Episcopos ab urbe Romana ad instruendos Hispaniæ populos à Petro, & Paulo Apostolos directos fuisse, qui destructa Idololatria Christianitatem fundaverunt Religionem plantaverunt, ordinem, & officium divinis cultibus agendum ostenderunt, & sanguine suo dedicaverunt, vestra diligentia non ignoret quantam concordiam cum Romana urbe, Hispania in religione, & ordine divini officij habuerit.* Ex quibus sic. In Hispania 7. Episcopi missi à Petro, & Paulo destructa Idololatria Christianitatem fundaverunt, & Religionem Christianam plantaverunt: sed qui fundant, & plantant sunt primi prædicatores Evangelij; iuxta illud Pauli ad Corinth. 1. cap. 3. v. 6. *Ego plantavi, Apollon rigavit, &c.* Ergo nullatenus Iacobus Apostolus prædicavit primus in Hispania.

33 Respondetur Gregorium non loqui diffinitive, per inde eius assertionem nullatenus officere, cum à seculo IX. ad XI. tot fuverint adsertores prædicationis S. Iacobi in Hispania; vt fatentur adversarij: sed hoc misso dicimus loqui Gregorium de fundatione, & plantatione Religionis Christianæ constitutis Ecclesijs sub Episcopis: nam Iacobus paucis discipulis ad Christianam Religionem traductis, Ecclesias sub Episcopis fundare non potuit; quapropter nihil hoc obest prædicationi S. Iacobi in Hispania, ad modum quo Petrus Religionem Christianam Antiochia plantavit, & fundavit, & non fuit primus, qui Antiochia prædicavit. Plurima ad diluendum argumentum congerit *Marquio Mondexarensi.* nobis neutiquam necessaria, brevirati contententes.

34 Obijciunt IV. quia dispersio Apostolorum ad prædicandum in orbe Evangelium facta est sub secunda persecutione, in qua Iacobus occisus est ab Herodes ergo non potuit in Hispania prædicare. Hoc fundamentum disiectum manet ex iunctis, vnde negato antecedente corrui: Similiter, & fundamentum desumptum ex Apollinaris traditione, consule dicta supra.

35 Restat diluere fundamentum: ex quadam relatione, quam publici iuris fecit *Loaissa* in editione Conciliorum, recudereque postea *Cossarius*, & *Labbe*, qua præcipue suffulti fuere Authores adversi, ut *Baronius*, *Nadalis*, *Dupin*, & *Tilimon*: ea enim refertur, quod in Concilio Lateranensi, sub Innocencio III. Anno Domini 1215. commota est controversia de primatu inter *Rudericum Toletanum Archiepiscopum*, & *Archiepiscopos Bracarensem*, & *Compostellanum*, ac coram ipso Pontifice allegasse omnes proprij motiva iuris: *Compostellanum* allegasse antiquitatem suæ Ecclesiæ fundatam in honorem *B. Iacobi Apostoli*, Domini *consanguinei*, qui primo in Hispania Evangelium disseminavit, & cuius corpus in ea requiescit, frequentaturque ex Universis Provincijs à Christianis Peregrinis: quibus *Rudericus Toletanus* obtenta à Papa facultate, respondit sequentibus.

36 I. Antiquitatem Ecclesiæ *Compostellane* spatio centum, & novem annorum non excedere: quia *Callixtus* Papa ius *Metropolitican* Ecclesiæ *Emeritensis* transtulit in *Compostellanam* anno Domini 1124. nam usque ad ea tempora locus ille, quo *Compostella* sita est, paruum erat Oratorium, & Ecclesiam *Toletanam* fundatam ab *Eugenio Pauli* Apostoli Discipulo. II. titulo nobiliorem *Toletanam* quia *B. Virgini* dicata, & sub *Ildefonso* propria præsentia sanctificata.

37 III. Quod quantum ad prædicationem *S. Iacobi* Apostoli in Hispania ipsum solum legisse: datam ei potestatem prædicandi in Hispania; sed interim cum per *Iudæam*, & *Samariam* divinam legem seminaret, sub *Herode Hierosolymis* capite truncato, exalavit animam, & Domino redidit: quomodo ergo prædicavit, quod nondum ingressus est. Aut sine prædicatione, quos obsecro convertit ad Dominum? Memini bene in primis me annis accepisse à quibusdam Sanctimonialibus, & Religiosis, viduis, paucos ad modum eius prædicatione ad fidem conversos esse, in qua cum tam exiguos progressus effici videret, in patria reversus factus est: ergo cum *Toletanus* aprime imbutus litteris prædicationem *Apostoli Iacobi* negarit, quia ante additam Hispaniam sub *Herode* capite cæsus est, & solum prædicationem *Apostoli* audierit à devotis mulieribus, neququam credendum prædicasse. Accedit: quod in *Historia* non meminit prædicationis *S. Iacobi* in Hispania.

38 Hoc fundamentum, *Eruditis*, & *Cordatis* omninò convulsit *Excellent. Marquio Mondejarenis*, adeo ut causam penitus peregerit, nihilque nobis agendum reliquerit; attamen admirationem cohibere non possum, ac omninò obtulpetco, adversarios, homines alioquin *Eruditissimos* *Crisi* maxima, & *Historica* litteratura omninò exultos; aut non legisse præfatam relationem, aut non cognovisse, opus esse, aut nebulonis, aut cuiusdam summe ignorantis, fide non dignum, cum sit erroribus, anacronis, & paradoxis refertum: quod ut omninò evinceret *Excellentissimus Marquio* ob oculos posuit relationem editam à *Loaissa*, eandemque ex *Biblioteca Ecclesiæ Toletanæ*, *Loaissa* maiori ex parte conformem, notatis, quæ addita, vel substracta, utriusque facta comparatione; ac ut clarius, utriusque errores demonstraret, numeris digessit, & quolibet numero, quæ à verò aliena discussit, & probavit: sed quia hæc vernacula contempnit lingua, exteroram paucis nota, longaque discussione, nos brevitati contentes potiora dabimus *eruditis* ad sublevandam relationis fidem.

39 Notum est *Historia Ecclesiastica* aliquali noticia tinctis: *Innocentium III.* duabus de causis indixisse *Concilium Lateranensem*: scilicet, recuperatione *Terræ Sanctæ*, & morum reformatione, datis *Epistolis* ad *Prælatos*, & *Principes*. 20. *Aprilis* anni 1213. ceptumque celebrari mense, *Novembri* 1215. ubi adfuerunt. 412. *Prælati*, ultra immentum numerum *deputatorum* absentium *Abatum*, & *Priorum*. *Amba-*

basiaiores, seu Legati Imperatorum, & Regum, ac ex Hispania solum ad fuisse Legatum Regis Aragoniæ, sed non Castellæ. In tempore huius Concilij dicitur agitam causam Primatiæ coram Papa inter Toletanum, Compostellanum, Bracharensem, &c. ad legantibus partibus cuiusque causæ suffragijs.

40 In primis adfuisse prædicto Concilio Lateranensi Rodericum Toletanum, est omninò falsum: quod si evicerimus, tota machina corruit; sed id satis constat. I. quia nullibi apparet sub scriptio Toletani. II. quia Concilio non ad fuit Legatus Regis Castellæ, vt fatetur *Dupin*: quippe regni negotia id impedimento fuere, potiorique causa fuere Toletano, vt infra dicemus. III. quia obeunte Alfonso VIII. die 6. Octobris anni 1214. qui ad Nabas Toloffæ celeberrimam de Sarracenis reportavit victoriam, eodemque mense Eleonora coniuge, vt constat vnanimi consensu nostrorum Historicorum, edito testamento, quatuor designavit testamenti executores, ac quasi tutores Henrici filij, equibus primus fuit Rodericus Toletanus Archiepiscopus, vti constat ex Privilegio Henrici in favorem Telli, Episcopi Palentini apud *Pulgar* lib. 2. Historiæ Palentinæ cap. 14. pag. 266. dato die 19. Novembris eiusdem anni: ac cum Henricus anno eodem privilegium aliud concessisset Episcopo, & Ecclesiæ Segovienfi 18. Decembris, vt permaneret robore fulcitum, subsignatum est à Toletano, & reliquis testamenti Executoribus die 18. Ianuarij anni sequentis 1215. interim Berengaria Sorore Regna moderante; qua propter hoc anno Rodericus non est profectus Romam.

41 IV. quia anno prædicto 1215. primi Procerum Larenfes fratres, Henrici Regis personam sub eorum cura intercipere conati sunt, vt in persona Regis regni moderarentur habenas; restitere Berengaria ac maiori ex parte Prælati ac Proceres; sed Lara fratres coepere varis artibus regna turbare, & arma parare. Berengaria vero pro singulari, qua pollebat prudentia, rata, quieti regnorum potius fore consultum debita cautione Laris tradere fratrem, quam sua retinere potestate; ipsum tradidit Laris, factò iuramento in manibus Toletani Archiepiscopi: sic enim ait Rodericus ipse lib. 9. cap. 1. *Berengaria timens violentias, quæ venerunt, fecit iurare Comitum, & Magnates, vt sine ipsius Regine consilio, nec aliquibus terram auferrent, ne aliquibus terram darent, nec vicinis Regibus guerram moverent, nec multam, quæ Hispania peccata dicitur, imponerent in aliqua regni parte, & Iuramento, & homagio, in manu Roderici Toletani Pontificis firmauerunt.* Hæc autem facta sunt Martio mense.

42 Aprilis autem die 20. Abulæ supscripsit Privilegio dato ab Henrico in eiusdem vrbis favorem inter privilegia compilata à Comite de Mora tom. 9. fol. 306. Cæterum cum Comes Albarus de Lara coepisset grassari manu violenta in omnes, qui eius factionis non erant, nec monitus desisteret ablata restituere, excommunicatus est à Decano Toletano ex præscripto Archiepiscopi, vtpote eius Vicarij, vt loco citato docet ipse *Rodericus, & Chronica Generalis* part. 4. cap. 10. quæ addit: quod contumace Albaro, Archiepiscopus interdicto regnum subiecit: quo Albarus ablata restituit, & denuò iuravit, nemini deinceps iniuriam facturum, atque hæc turbarum collubies mensibus plusquam quatuor duravit.

43 Septembris vero die 27. Arevalo sub scripsit Archiepiscopus privilegio dato ab Henrico Ordini. S. Ioannis Hyerosolimitani, & Comendatori Consuegræ, de certa portione salis danda, vti constat ex Libro Privilegiorum Ambrosij Moralis dicto die, mense, & anno, quod M. S. est inter nostros: cum ergo Concilium sit indictum ad diem 1. Novembris, & solum superfuerint à die 27. Septembris dies 34. his non videtur potuisse iter Romam peragere.

44 V. quia ipse Rodericus nullibi meminit huius itineris, & absentiae ab Hispania: cum sepiissime soleat rerum suarum memoriam facere, sicuti lib. 9. cap. 12. referens expeditionem S. Fernandi contra Mahometanos anno 1226. edocet se non interfuisse expeditioni, & quod decubuerit infirmus Guadalaxara, & similiter quando cap. 17. eiusdem lib. refert: post expugnatam Cordubam, purgatam Moscheam, & consecratam in Ecclesiam, sic ait: *Et quia venerabilis Ioannes, de quo diximus, Roderici Toletani Primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud Sedem Apostolicam morabatur, eliminata spurcitia Mahometis, & aqua lustrationis perfusa, in Ecclesiam commutavit:* qui sic de se loquitur, quare silentio miteret se inter fuisse Lateranensi Concilio? Sed qui cupierit noscere Castellæ turbas, quibus impeditus non adfuit Lateranensi, legat ipsum Rodericum lib. 9. cap. 1. & sequentibus.

45 VI. quia Honorius III. cum esset Card. Sabellus ac Innocentij III. Camerarius, interfuit Concilio Lateranensi, & fuit Innocentij Successor; solum ex fama novit Rodericum, vsque ad annum 1218. ut constat ex eius Epistola data ad Episcopos Abulensem, & Burgensem, hoc anno apud Rainaldum num. 70. qua hæc verba habentur. *Nos tamen pensantes prudentiam venerabilis fratris nostri, Archiepiscopi Toletani, odorem nominis, cuius est fama dudum ad nos præconio tanto prætulit, ut profusa in eius laudibus videretur: nunc tamen illam avaram in eisdem comperimus extitisse; cum scientiæ, circumspèctionis, modestiæ, honestatis ac omnis industriæ longe plusquam illa retulerit, invenerimus in eodem:* si autem disceptatio de Primatu acta foret à Toletano coram Innocentio in Palatio, non posset Honorius, fama solum noscere Toletanum, cum adfuerit Sessionibus Lateranensis, fueritque intimus Innocentio, cum ergo Honorius ante præfatum annum testetur, solum fama Toletanum novisse, asseri nequit interfuisse Lateranensi. His accedit ingentis ponderis confirmatio: nam ut habetur utroque codice Toletano, & Loaysiæ num. 7. Toletanus impetrata audientia à Papa, proposuit in pleno Consistorio coram ipso, & Cardinalibus, & pluribus Archiepiscopis &c. Cum ergo Honorius fuerit Cardinalis tunc, adfuisset in confesio, & cum Toletanus perorarit pro primatia, non potuit, solum esse notus Honorio ex fama, cum perorantem necesse, vidisset.

46 VII. quia tota hæc narratio referta est erroribus, anacronismis, & paradoxis, denotantibus auctoris ignorantiam: præcipua delibabo, ut appareat, quam sine examine placuerit hoc argumentum adversis authoribus. Num. 3. refert interfuisse Concilio Archiepiscopum Tarraconensem, & num. 23. refert pro Tarraconensi absente egisse eius causam Episcopum Vicensem, seu Aufonensem. Inter fuisse ex Castella Episcopos Conchensem, & Segoviensem, qui sub scribunt Privilegio dato, & iam dicto, Ordini S. Ioannis Hierosolimitani. Mito quod Rodericus diversis, linguis perorarit, num. 4. quod non congruit brebitati peracti Concilij. Legatur Dupin tom. 10. cap. 6.

47 Num. 5. refertur quod in Concilio obtinuit Rodericus Legati Apostolici munus in Hispania per decennium: quod est manifeste falsum: nam Anno 1217. non erat Apostolicus Legatus in Hispania: quippe negotia Ecclesiastica diversis Episcopis commisit Honorius. Legatur Raynaldus eo anno num. 84. & 85. Anno 1218. venit Legatus Card. Sabellus, qui rediens ex Hispanica Legatione obiit Legatur Olduinus tom. 2. pag. 57. *Vgelus* Italiæ Sacræ tom. 1. columna 150. Anno 1219. venit Legatus Ioannes Colona Card. Sabinensis. Legatur. *Ant. dug.* in Archiepiscopis Tarraconensibus in Asparrago. Huic successit Card. Sabellus qui obiit antea num. 1223. *Olduinus* tom. 2. pag. 60. *Frizon* in Gallia Purpurata lib. 2. pag. 208. cui successit Ioannes Ailgrinus Abbas Abbevillæ, ut docet Rodericus ipse lib.

9. cap. 12. Videas quæso quam falso adfertur: obtinuisse Rodericum annis decem munus Apostolici Legati. Mito, quod nemo risum tenere queat, cum refertur datam Roderico potestatem, ut cum trecentis Sparijs, & illegitime natis posset dispensare ad ordines, beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, necnon dispensare cum excommunicatis, irregularibus, & concubinarijs.

48 Num. 7. dicitur probasse Primariæ iura ex Bullijs Honorij, Gelasij, Lucij, Adriani, & eiusdem Innocentij &c. quis autem credere queat in re tanta Rodericum oblivioni tradidisse præcipuum Privilegium Primatus, quod est Urbani II. datum Anno 1088. Bernardo Toletano Antistiti, necnon Confirmationes Paichalis II. & Callisti II. cum de ipso disceptaret.

49 Num. 9. 10. 11. & 12. inumeros continent errores, recensendo Burdini Historiam, quos brevitatis causa mito, & late demonstrat Mondejarensis; ut deveniam ad intolerabiles, refragante ipso Roderico: nam acta causa cum Bracharensi, dicitur num. 14. perorare cœpisse pro se Compostellanum ex nobilitate, & antiquitate Ecclesiæ suæ, & ex eo quod dicata fuerit Apostolo Iacobo, in qua quiescit eius corpus, quique fuit primus, qui in Hispania Evangelium difeminavit, aliquosque ad Christianam Religionem deduxit.

47 Num. 14. & 15. refertur respondisse Rudericum: antiquitatem Ecclesiæ Compostellanæ spatio 109. annorum contineri: probasseque, eo quod ad instantiam Principis, & Cleri Hispaniæ, Callixtus, in Compostellam Ecclesiam transfuderit ius Metropolitanicum Emeritenis Ecclesiæ, & ratione perennis devotionis Peregrinorum undique confluentium ad visitandum corpus S. Apostoli: nam ad ea tempora Oratorium parvum erat locus ille, in quo nunc sita Compostellana Ecclesia, perindeque eam antiquitate excedere Toletanam fundatam ab Eugenio Pauli Apostoli discipulo. Hæc summatim præfatis numeris, ut prestingamus singulos errores.

48 I. Dicitur, antiquitatem Ecclesiæ Compostellanæ 109. annorum spatio contineri: vel enim hoc dicitur de Ecclesia Compostellana qua tali, antequam effecta esset Metropolitana, vel postquam talis effecta est à Calixto II? Si dicatur primum: continet intolerabilem errorem: siquidem à revelato corpore B. Apostoli anno 810. plus minusve, Leone III. consentiente ædificata est Ecclesia ante annum 816. quo obiit Leo, & translata est sedes Iriensis in Ecclesiam de novo ædificatam, retento Iriensis nomine, intercessereque plusquam 300. anni, de quo fuisse nos in Annalibus Hispaniæ. Si autem hoc dicatur de Ecclesia Compostellana postquam effecta est Metropolis. Etiam ex antecedenti evincitur falsitatis: Alphonsus enim III. Legionis Rex Crucem donavit Compostellanæ Ecclesiæ Anno 874. similem illi quam dederat Ecclesiæ Oventensi Alphonus Castus, ut videre est in eius Epigraphe ex fide *Ambrosij de Morales*, In itinere à se facto ex præscripto Philippi II. quod manuscriptum servatur in Bibliotheca Scoriaca, eiusque fidsissima apud me copia: qua propter, iam eo tempore in iustam magnitudinem excreverat Compostellana Ecclesia: de qua Donatione meminit D. Maurus de Castella, & alij.

49 Idem evincitur ex Anno 879. quo ex Chronicone Iriensi. Adefonsus ipse Cognomento Magnus visitavit Ecclesiam Compostellanam, & Corpus S. Iacobi, & conspiciens Ecclesiam terreis parietibus constructam, dirui præcepit, & edificari Lapidibus Quadris, ac demum idem evidenter constat ex nostris Analibus Anno 883. 886. 893. ac 899. quo novum templum Compostellanum magna celebritate consecratum est, concurrentibus Episcopis, Comitibus, & Regni Proceribus: de incepta solam demens dubitare potest de magnitudine Ecclesiæ Compostellanæ, ubi esultere S. Rudesindus, S. Petrus Monfoncius, & alij claræ memoriæ, vsque ad Dida-

cum Gilmeiriz primum Metropolitanum seu Archiepiscopum Compostellanum: qui Anno 1120. Cluni impetravit gratiam Metropolitanæ. Qua ergo ratione dicere potuit Rodericus, ad illud vsque tempus solum intercessisse 109. annos, à quibus ex parvo Oratorio facta est celebris Ecclesia Compostellana: cum à rædificatione per Alphonsum III. intercesserint 222. anni, ac si à gratia facta anno 1120. aut à Bulla expedita 1124. vsque ad tempus celebrationis, solum intercesserint 95. anni aut 99. Valeant hæc apud nostrarum rerum, & Ecclesiasticæ Historiæ imperitos, ac præsertim cum ipse Rodericus lib 4. Historiæ cap. 15. referat loquens de Alphonso III. quod: *Ecclesiam S. Iacobi, quæ erat terrea, quadris Lapidibus, & columnis marmoreis reparavit: nota reparavit.* Id est, denuo ædificavit, ante ergo erat constructa: eiusdemque Regis referat celeberrimam consecrationem.

50 Mito ultimam clausulam defundatione Ecclesiæ Toletanæ per S. Eugenium Pauli Discipulum, excutiendam Gallicis Criticis, ne inanutiliter nos his inferamus. Ex quo constat, totam huius numeri farragineam indignam Ruderico, & falsam: patetque, contenta num. 19. ex cuius verbis conficitur contra nos argumentum, futillia esse, & eidem exceptioni subiacere: cumque in ea scribatur: *Datam Iacobo potestatem prædicandi in Hispania.* Querimus: quid obsuit cum supetierit tempus? Impigrum sane condemnabimus? Absit, cum non sine causa *Tonitruus filius* à Servatore sit cognominatus. Mitimus incongrua aliorum numerorum, quippè ex dictis satis apertè potest Eruditus, Enarrationem præfatam, farragineam esse errorum ab imperitissimo compactam; pigeatque viros eruditione conspicuos in malæ causæ suffragium, prædicto patrocinio uti, ac legant serio omnem narrationem, conspicientque omnino sublestæ fidei, ac à veritate alienam. Quod autem Rudericus prædicationem S. Iacobi silentio in Historia misserit; nullatenus mirandum, cum eius scopus non fuerit conscribere Historiam Ecclesiasticam Hispaniæ, sed solum profanam.

51 Meminerint quæssio cuncti, pro Coronide Dissertationis: nova nomina non sine mysterio sanctis indita, Simoni Ioannis inditum à Christo nomen Petri: quia futurus erat Petra, supra quam fundanda erat Ecclesia. Zebedæi filijs imposita Boanerges, id est, filij tonitruus, id est, fulmina, aut fulgura, quæ luce sonitu, & terrore longissime insonant. Insonuit toto mundo Ioannes ex Asia scribens: *In principio erat Verbum, &c.* Dicatur ergo nobis: quâ ratione Orbi insonuerit Iacobus noster, appellarique potuit filius Tonitruus, fulmen, vel fulgur, si vsque ad annum 42. mortis Hierosolimorum finibus mansit, nec Hispania prædicavit?

Sub Correctione S. R. E.

Cum Licentia Ordinarij, nec non Supremi Senatus Castellæ.

non Ellipticis primam Metaphorice...
 Anno 1710. Quam...
 hic Roborus ad hunc...
 pars 3. Oratio...
 Alphabetum III. intercellum...
 epistolae...
 20. Vltima...
 21. Vltima...
 22. Vltima...
 23. Vltima...
 24. Vltima...
 25. Vltima...
 26. Vltima...
 27. Vltima...
 28. Vltima...
 29. Vltima...
 30. Vltima...
 31. Vltima...
 32. Vltima...
 33. Vltima...
 34. Vltima...
 35. Vltima...
 36. Vltima...
 37. Vltima...
 38. Vltima...
 39. Vltima...
 40. Vltima...
 41. Vltima...
 42. Vltima...
 43. Vltima...
 44. Vltima...
 45. Vltima...
 46. Vltima...
 47. Vltima...
 48. Vltima...
 49. Vltima...
 50. Vltima...

Sub Correctione S. R. E.

Cum Licentia Ordinarij nec non Sr.
 primum Generis Castellae.

CARTA

DE

15/10/1571

D. JUAN CHIN

DE AZUR,

Florez

FRAY ENRIQUE

FLOREZ,

RECONIENDO ALGUNOS REPAROS

QUE EN EL TITULO SE HAN

HECHO EN LA ESPAÑA SAGRADA



